



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

XXXIII. Edictum in Carisiaco.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

TITVLVS XXXIII.

Edictum in Carisiaco.

*HOC EDICTVM CONSTITVIT DOMNVS KAROLVS
in Carisiaco anno incarnationis dominicæ DCCCLXI.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus gratiâ Dei Rex omnibus regni nostri fidelibus. Pervenit ad nos quia quod ad timorem incutiendum, ne aliquis bonum denarium, id est, merum & bene pensantem, reicere audeat, more prædecessorum nostrorum pro generali utilitate regni nostri commendavimus, aliqui Missi ad hoc constitutum exequendum, minus intelligentes devotionem voluntatis nostræ, & obsequentes intentioni suæ voluntatis, quasdam adventiones, quod multum Dominus detestatur, & in mallatione & in exactione intromittunt, cum in eo quod ad regni utilitatem jubetur & agitur, non privata contra generalem utilitatem commoditas, neque aliquid turpe lucrum, quod in Christiana religione & in regia dignitate aut in Missorum fidelium sinceritate non concederet, se debet ullo modo miscere. Propterea necessarium duximus ut commendationem nostram ex hoc scribere rogaremus, quæ ex more in nostro palatio apud Cancellarium retineatur, & inde per Missos nostros dirigatur, ut nemo per ignorantiam, nemo per indultriam ab ea valeat deviare. Vnde volumus, quia & timor utilis, & consideratio misericors, & discretio moderata in hac commendatione nostra est necessaria propter paupertatem hominum, quia necesse fuit in istis temporibus conjectum de illis accipere, & ad navium compositionem, & in Nortmannorum causa, pro regni, sicut res conjacet, salvamento, ut omnes cognoscant quia non quæstum inhonestum, sed publicam regni utilitatem quærimus. Salva constitutione & in postmodum jure firmissimo permanente quæ in Capitulari avi & patris nostri ex hoc scripta habetur, quilibet francus homo convictus quia bonum denarium, id est, merum & bene pensantem, post hunc bannum nostrum egerit, medietatem francilis banni componat. De colonis au-

tem, & servis cujuslibet potestatis, si in civitatibus vel mercatis aliis deprehensus aliquis fuerit denarium reicere, Missus reipublicæ provideat ut si non invenerit illum denarium merum & bene pensantem, ut cambiare illum mercanti jubeat. Si autem illum denarium bonum invenerit, consideret ætatem & infirmitatem & sexum hominis, quia & feminæ barcaniare solent, & aut icibus, prout viderit competere, aut minutis virgibus cum ratione & discretione illum qui denarium bonum rejecit castiget, quatenus & ceteri timorem habeant, & homo crudeliter non damnetur. Et qui post hunc præsentem bannum inventus fuerit pro tali correptione non castigatus, habeat Missus reipublicæ in civitatibus & in mercatis denarium sic affectatum ut deprehensum in fronte denario calefacto salvis venis taliter coquat ut ipse homo & ceteri castigentur & homo non pereat, & videntibus signum castigationis ostendat. Missi autem nostri colonos & servos pauperes cujuslibet potestatis non mallent, nec bannum francilem solvere cogant, sed advocatus eorum, non cum aliqua nova adventione, sed quia de sua advocacione coloni vel servi contra bannum nostrum bonum denarium, id est, merum & bene pensantem rejecerint, sicut lex est, malletur. Et unusquisque advocatus pro omnibus de sua advocacione, si suo sacramento eos inculpabiles de hoc banno nostro reddere non potuerit, unum tantum integrum bannum componat, in convenientia ut cum ministerialibus de sua advocacione, quos invenerit contra hunc bannum nostrum fecisse, sicut supra diximus, cum necessaria & moderata discretione castiget. Et si causa exegerit ut advocatus de uno solo colono vel servo malletur, quia contra bannum nostrum fecerit, nolumus, quia nec lex est, ut, sicut audivimus aliquos interpretare, advocatus francus suam

IV. 31.

+ Reg. 1.

legem, sed coloni vel servi de sua advoca-
tione legem componat; nisi forte ipse
eum in hoc induxerit qui contra nostrum
fecerit bannum. Hanc autem nostram de
presenti tempore constitutionem, salva
in postmodum, ut diximus, ex hoc præ-

decessorum nostrorum constitutione, &
in palatio nostro & in civitatibus & in
mallis atque in placitis seu in mercatis re-
legi, ad cognitari, & observari manda-
mus.

TITVLVS XXXIV.

Synodi Pistensis.

IN nomine sanctæ & individue Trinitatis, Karolus gratia Dei Rex,
& Episcopi, Abbates quoque, & Comites, ac ceteri in Christo re-
nati fideles, qui ex diversis provinciis super fluvium Sequanam, in lo-
cum qui Pistis dicitur, ubi exigentibus peccatis nostris aliquandiu se-
des fuit Nortmannorum, convenimus anno incarnationis dominicæ
DCCCXLII. anno verò XXXIII. regni Domni nostri Karoli Regis glo-
riose, Indictione decima.

CAP. I.

REges & Episcopi qui ante nos fue-
runt, ducti amore & timore divino,
cum ceterorum fidelium Dei consilio at-
que consensu plura statuerunt capitula,
providentes qualiter sancta Dei Ecclesia
statum debitum & honorem & regni ha-
bitatores in omni statu & ordine haberent
legem atque iustitiam. Nos etiam pro
qualitate rerum & opportunitate tempo-
rum quædam huic causæ convenientia ca-
pitula superaddidimus. Sed diabolo fata-
gente supervenientibus perturbationibus
tam à paganis quam à nomine tenus Chri-
stianis miserabiliter excitatis, incepta bo-
na defecerunt, & in tantum in hoc regno
mala horribilia increverunt ut in nobis vi-
deamus & sentiamus completum quod
olim est per Prophetam prædictum, *Ter-*
ram vestram in conspectu vestro alieni devo-
ravit, & erit sicut in vastitate hostili, &
pervenit gladius usque ad animam; quo-
niam alieni insurrexerunt in nos, & fortes
quæsierunt animas nostras, & non pro-
posuerunt Deum ante conspectum suum,
contra quos defensionem paravimus; sed
defensionis auxilio, sicut necesse fuerat,
hactenus adjuti non sumus. Vnde com-
pellente cordis dolore nobis est exclaman-
dum quod Rex bonus obsidionis angustia
tribulatus exclamavit dicens: Dies tribu-
lationis & blasphemie dies iste, venerunt fi-

lie usque ad partum, & vires non habet
parturiens. Hæc omnia vidimus, sensimus,
& dolemus: quia cum hostes irruerunt,
defensores nostri parati sunt, sed ad præ-
parata non convaluerunt: quia illum spi-
ritum sanctum, qui requievit super adju-
tores in opportunitatibus in tribulatione
Christum Dominum nostrum, vel quem
per impositionem manus episcopalis in
consignatione accepimus, contristatum
malignis operibus à nobis effugavimus, spi-
ritum scilicet consilij & fortitudinis, quem
quia ita ut nobis necesse fuerat non habe-
mus, ideo contra inimicos nostros stare
viriliter & vincere fortiter non valeamus.
Quæ utraque sibi necessariò sunt conjun-
cta: quia neque virtus sine consilio, nec
consilium sine virtute utilis esse potest.
Quid igitur profunt qui per consilium præ-
parantur, dum ad prælium per fortitudi-
nem non procedunt? Filix quippe usque
ad partum veniunt quando apta consilia
usque ad desiderium efficiendi operis pro-
cedunt; sed virtutem non habet partu-
riens, quia dum infirmus quisque consilia
concepit, hæc ad utilitatem aliquantam
per partum operis non producit. Vide-
mùsque impletum quod à Domino est an-
tè prædictum populo contra voluntatem
suam facienti: Anathema in medio tui: non
poteris stare coram inimicis tuis. Qui contra
placatus placentibus sibi dixit: Nullus sta-
bit contra vos. Sed & ideo terram nostram

Iosue 7.

Deut. 11.